Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

uel uestimenta, hoc alibi spolia nominantur. Quod etiam psalmista testatur per comparationem dicens: Letabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Que spolia idcirco uocata sunt, quia ad fidem domini gentilitate transeunte, iudei sacris eloquiis quibus induti fuerant exuuntur. De hac quoque argenti uel spoliorum diuisione alias dicitur: Beniamin lupus rapax, mane comedet predam, uespere diuidet spolia. Quibus profecto dictis paulus apostolus designatur, de beniamin stirpe progenitus, qui mane predam commedit, quia in primordiis suis fideles quos potuit rapiens, crudelitati proprie satisfecit. Uespere spolia diuidit, quia fidelis postmodum factus, sacra eloquia exponendo distribuit. Quamuis et hoc argentum quod diuidit innocens intellegi et aliter potest. Heretici namque ut facile ualeant peruersa suadere, dictis suis quedam recta permiscent, ut animas audientium trahant ex rectis sensibus, et peruersis feriant. Qui quia in preceptis dei sana insanaque locutione uariantur, bene in euangelio decem leprosorum sunt specie designati, quorum colori sano dum uitiosius candor aspergitur, immoderato hoc candore fedantur. Unde ammonemur non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Qui etiam nec dominum diligunt de quo male sentiunt, nec proximum a quo diuiduntur; decalogi preceptis aduersi sunt, atque ideo ad deprecandum dominum decem ueniunt, et pro eo autem quod sanis insana miscuerint, colori diuersitate uariantur. Sed quia in eius preceptis offenderant, ipsum illum unde offenderant uocant dicentes: Ihesu preceptor. Unde et mox curari meruerunt. Ergo quia uir catholicus que ab eis recte uel que praue sentiantur intelligit, argentum innocens diuidit, id est que ab eis salubriter uel que pestifere dicta fuerint discernit. Sequitur.

Edificauit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum.

Tinea sibi domum corrumpendo edificat. Nec meliori comparatione potuit hereticus demonstrari, qui locum sue perfidie non nisi in mentibus quas corruperit facit. Qui etiam sequaces suos ab eterno esse igne liberos pollicetur, spondet quippe refrigerium eterne quietis, sed uerba eius soliditatem non habent, quia plenitudine ueritatis carent. Unde subiungitur: Et sicut custos fecit umbraculum. Umbraculum namque custodis nullo fundamento solidatur, sed tempore mox transeunte destruitur. Et promissa ab hereticis requies cum tempore destruitur, que post hanc uitam nullatenus inuenitur. Et quia sepe heretici in contemptu uniuersalis ecclesie potentum secli patrociniis fulciuntur, eisque diuites protectione et amministratione quanta preualent opitulari non cessant. Ipse etiam quilibet diues contra editto